DECRETVM PARLAMENTARE CONTRA PVRITANOS ANGLICANOS EDITVM IN REGNI COMITIIS HABITIS

Londini 10. Aprilis huius anni 1593. regni vero Elizabethæ 35. cuius inscriptio in exemplari impresso hæc est.

Sanctio pro Regiæ Maiestatis subditis in debita obedientia retinendis.

VT præueniantur & euitentur grauissima discrimina, quæ ex periculosis seditiosorum sectariorum, aliorumque perfidiosorum impijs artificijs accidere,& exoriri possint; A regia excellentissima Maiestate Dominis spiritualibus & temporalibus populique procuratoribus in hoc præsenti parlamento Anglicano congregatis, huiusque authoritate sancitum sit. omnes, qui decimum sextum ætatis annum egressi,obstinatè recusauerint, Ecclesiã adire locũue communi orationi deputatum, vt diuinum officium, quod suæ maiestatis legibus ac decretis ad hanc rem pertinentibus,confirmatum est audiant,& sine legitima causa hoc facere detrectauerint per spacium vnius mensis proximè insequentis post hoc parlamentum finitum; si post dies quadraginta dictos à fine huius parlamenti, imprimendo,scribendo,aut expresse loquendo, scientes aut prudentes attentauerint, aut conati fuerint, cuiquam è suæ Maiestatis subditis,alijsue intra suę sublimitatis regna atque dominia existentibus persuadere, vt negent aut impugnent suæ maiestatis primatum & authoritatem in causis ecclesiasticis, vnitam & annexam Imperiali huius regni coronæ; aut in hunc finem callide & malitiosè cuiuis persuaserit, ne accedat ad ecclesiam sicut dictum iam est, vt diuinis officijs intersit aut communionem recipiat iuxta sua Maiestatis prædictas leges & statuta, vel si persuaserint vt interesit & præsentem se exhibeat alijs quibus-

Præfa
1.
Puritai
recusar
adire
testant
Eccles
vel neg
Regina
Prima
vel alij
persuac
tes carc
bus ma
dãdi s

ACTA IN COMITIIS PARLAMENTARIBVS LONDINI DIE X. APRILIS HVIVS ANNI PRAEsentis 1593. tam contra Catholicos quam Puritanos seu Caluinistas rigidos.

Quibus perturbatissimus Ecclesiæ Anglicanæ status in religionis negotio demonstratur; & nonnulla alia scitu digna explicantur.

Collecta & in sermonem latinum traducta per Ioannem Dodritium Londini commorantem.

Anno, M. D. XCIII.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

TYPOGRAPHVS BENEVOLO Lectori.

TRansmiserat ad me his diebus amicus quidam Belgicus, acta nonnulla comitiorum Anglicanorum quæ hoc ipso anno Lõdini habita sunt, de negotio religionis, & rogauit præterea vt si res digna videretur prælo mandaretur pro nundinis Franckfordianis: quæ in re parendum ei iudicaui non tantum amicitiæ causa, sed vtilitatis quoque publicæ, interesse enim vniuersæ reipub. Christianæ existimo, vt hæc ab omnibus intelligantur. Nullibi profectò vidi temporibus nostris hanc causam religionis tam seriò ac seuerè agi quam in Anglia, quanquam & in Scotia quoque nonnihil habeatur simile, ex his autem coniectura sumi potest quid alijs etiam

in partibus Sectarij essent facturi, præsertim Caluiniani si rerum potirentur perinde ac in Anglia.

Exijt edictum Reginæ nomine ante duos annos in Catholicos, quos vocant recusantes, eo quod ecclesias Protestantium adire recusent, & contra Sacerdotes nationis Anglicanæ qui instituti in Seminarijs vltra marinis domum reuertuntur ad fidem Catholicam edocendam, pœnæque capitales statuuntur non tantum in ipsos, sed vna etiam in receptores, & fautores, & præsertim si quis eis peccata confiteatur.

Contra hoc edictum quod Gulielmi Secilij Thesaurarij publici consilio & hortatu promulgatum putatur, multi dicuntur acerrime scripsisse varijs linguis, ego autem hos tantum vidi latino sermone libros editos, trium authorum nominibus Ioannis Pernij nimirum Andrææ Philopatri & Dydimi veridici quos omnes legi & miratus sum valde quæ ab his authoribus adferuntur, contra euidentissima, vt videntur, edicti mendacia. Certe vt cætera preteream, duo aut tria plane ridicule ab edicti affirmari dixeris primum quod regina Angliæ pacifice semper extiterit nec

cuiquam

cuiquam vicinorum principum, præsertim vero Hispaniarum Regi molestiam vnquam exhibuisse sed illum econtra multis iniurijs illam lacessisse, alterum se nemini subditorum pœnam inferre ob Religionem.

Tertium præsentem sui regni conditionem florentissimam ac pacatissimam esse, quorum trium vt primum relinquamus vniuersi mundi iudicio, posteriora duo his ipsis comitiorum actis luculenter refutantur, vbi enim necesse fuit duabus factionibus tam numerosis & potentibus sibique inuicem tam contrarijs, Catholicis nimirum ac Caluinianus, ipsam rempublicam Caluini placita profitentem legibus publicis obsistere, ibi perturbatissimum quoque esse reipub. statum necesse est. Sed hæc ipsi viderint, tu amice lector his fruere ad tuum commodum & animaduerte quo tandem progrediantur sectæ omnes sectarumque magistri, discant etiam principes quam inexplicabiles modos ac labyrinthos inducat in Respub. sectarum licentia, cum hoc nobilissimum Angliæ regnum quod olim fortissimum erat, suorumque incolarum vnione munitissimum, nunc adeo dissectum & in se diuisum sit, vt trium ad minimum potentissimarum factio-

num dissentione hostili, odioque acerbissimo religionis causa exagitetur, Catholicorum nimirum Puritanorum & Protestantium, atq; his vltimis qui alijs dominantur, a duobus prioribus bellum immortale communi marte infertur. Quid igitur expectandum est quin vt tanto incendio domestico Respub. tandem vniuersa conflagretur.

EXEMPLAR LITERARVM CONSILIARIORVM REGNIAE AD QVOSDAM COMMISSIONARIOS PRO CATHOLICIS EXAMINANDIS *in comitatu Lincolnienſi, vnde conſtat quam diuerſo modo procedunt ab eo, quem pretendunt & edictis ſuis diuulgant nimirum ſe nemini moleſtiam exhibere cauſa religionis.*

Optimis noſtris Dominis Comiti Lincolniæ Baroni de Willowby & Baroni Sheffeld, &c.

Optamus V. D^bus plurimam ſalutem.

EX eò quod V. D. & reliqui comiſſionarij ſignificarũt de examinãdis, & reſtringendis ijs qui adire eccleſias recuſant, in illo comitatu Lincolniæ, intelleximus præcipuos ipſorũ Duces & anteſignanos traditos eſſe in cuſtodiã V. D. vobis ipſis fide iuſſoribus de ipſis tuto cuſtodiẽdis, & producendis quoties & vbi erit opus, quod nos interpretamur potius in ipſorum maiorem æſtimationem cedere, quam vllo modo in dedecus dum morantur in cnſtodia & tutela hominum quales vos eſtis authoritatis & gradus dignitatis in repub. vbi neq; patientur pænam aliquam nec pœnuriam, quod cum repugnat tum Maieſtatis ſuæ voluntati, tum etiam noſtræ intentioni putauimus hoc vobis indicandum eſſe, & op-

taremus potius, vt si non iudicatum fuisset à vobis, id expedire vt publico carceri ttaderentur (quod apparet vos egisse ad hominibus tennioris fortunæ & minus scandalosis) debuissent saltem tradi curæ & custodiæ alicuius docti & discreti concionatoris ceu Ministri. Vnde aliqua saltem spes foret, ipsos se conformandos Reipub. legibus ex diligentibus suasionibus & hortationibus eorundem, quod pluribus de causis non tam commode fieri potest vbi nunc sunt. Non dubitamus idcirco quin V. D. iuxte nostram voluntatem statim curabunt, vt quam primum remoueantur à vobis siue ad publicū carcerem, seu alium locum commodum, qui vestris iudicijs existimabitur respondere nostris exspectationibus, & seruicio promouendo quod intendimus. Sicque V. D. ex animo nibemus recte valere. Ex Aula Hamptonienſi 9. Martij. 1593.

Amici vestri amantissimi.

Thesaurarius G. Burghley.
Admiralius Ca. Howard.
Camerarius H. Hunsden.
Tho. Buckhurste.
Vicecamerarius Tho. Hennegius.
Ro. Cecill.
Io. VVolley.

EXEMPLAR EPISTOLAE MAGISTRI N. VITI

nuper martyrio affecti ad nobilem quendam Catholicum.

VIDEOR mihi (Præstantissime Domine) confidenter posse ad V. D. recurrere tanquam ad Patronum orphanorum & pupillorum temporibus his miserandis, cum præsens status meaq; calamitas quã sine aliqua temporali consolatione ægrè poteto diu sustinere, ad illud me compellat, cumque frigidior anni tempestas ob vestium inopiã, & tortorum meorum acerbitas, & custodum meorũ malitiosus & planè diabolicus modus agendi cum omnibus in vniuersum Catholicis præcipuè vero sacerdotibus eo vsque iam procedant vt a supremo nequitiæ culmine parum abesse videantur. Poterit vt opinor lator harumex parte statum meum significare ex verbis cuiusdam concaptiui mecum hic incarcerati, & verè amici mihi in vinculis longè charissimi, sibi enim ipsi alimenta necessaria subtraxit vt me cibis per Augustum foramen vt potuit porrectis refocillaret, quem ego quidem nunquam in vita mea vidi nisi ad rimam illam parietis exiguam, nihil tamen ipsi tam carum erat, quod non libenter quantum potuit mihi per rimam illam angustam communicaret pro quo non cessabo sicut teneor quotidie quoad vixero Domino supplicare. In arcta custodia detentus sum A. 18. die Septembris vsque hodie è quibus per 40. dies continuos semper recubui super modicum straminis in terra ocreatus, manibus perpetuò vinculis ferreis constrictis, quæ ne semel quidem spatio vnius mensis exuebantur, postea tamen semel aut iterum, ablata sunt pro tantillo tempore vt vestes accommodarem, & hic vnicus est fauor quem Custos mihi vnquam præstitit, Postridie Sanctorum Simonis & Iudæ suspensus sum in sublime ad parietem vinculis meis sera ferrea concluſis, quantum poterant in altum pedibus super scabellum positis manus in altum

extendi

extendi & tunc ſublato ſcabello in aëre pẽdebam ab hora circiter octaua manè vſque ad quartam poſt meridiem, ſine vlla prorſus conſolatione humana, niſi quod ad maiorem cruciatum & irriſionem Topel.ffus tormentorum Magiſter ingrediẽs ſerio mihi exprobrauit Hiſpanos iam noſtra opè aduentaſſe Londinum. Audi inquit nunquid percipis ſtrepitum tubarum ac tympanorum, tunc enim temporis plurima perſonabant tympana in gratiam noui præfecti ciuitatis Londinenſis, ſequenti etiam die ad horam vnam vel alteram ſimili modo ſuſpenſus fui. Quod ad veſtes meas attinet non ſunt aliæ quam æſtiuales illæ quibus vſus ſum dum comprehenderer reliquis omnibus eodem tempore exutus & ſpoliatus ſum, & primum quidem equo quem emeram pluſquam quadraginta ducatis, viginti etiam plus minus quos apud me habui in pecunia numerata pixide quoq; argentea & alijs nõnullis. Denique nihil mihi reliquerunt præterea quibus indutus eram, accipiebat etiam mercedis loco qui me comprehendit viginti ducatos à conciliarijs reginæ coram quibus ſiſtebar in oppido Baſingo quo loco tunc temporis curia morabatur. Et hic ſtatus eſt meus ab eo tempore vſque in hanc horam omni ſolatio huius mundi pœnitus orbatus, facilius ad me permitterentur introire pecuniæ quam quæuis alia res, quanquam cum venia iuſticiarij Yongi & alia etiam deferri poſſent. Sed hoc fieri debet ope alicuius amici proteſtantici. Debet mihi D. N. quadraginta ſolidos Anglicanos, quos mihi legarat Pater ipſius, & ipſemet hac eſtate dum in campis ſermonem cũ eo habui ſe mihi ſoluturum ſpoſpondit. Quæſo. V. D. vt certiorẽ illum faciat de mea neceſſitate, noui enim ipſum cuicunq; poſtulanti ſtatim daturum. Scio quod Catholici in partibus occidẽtalibus Angliæ inter quos præcipuè laboraui libenter me iuuarẽt, ſi intelligerẽt modũ ad me tuto tranſmittendi, ſcio etiam alios pro ſua charitate non illibenter idem præſtituros, ſed ego confidentius ab iſtis opem acciperem. Comprehenſus ſum Blandfordi in comitatu Dorceſtrenſi calendis Septembris & ibidem diſputationem habui duobus continuo diebus cum hęretico Doctore Souch, & nonnullis alijs miniſtris iniquitatis, præſentibus plurimis omnium ordinum, Deus Bone

quam

quam ſubtilia & ridicula nimis valdè erant hęreticorum argumenta, ſed parcat mihi Dominatio V. quod tam diu eam detinui peto etiam ſi fieri poteſt vt cum aliquo amico proteſtante agatur vt aliquoties me inuiſet & vt per ipſum aliquantulum reficiar, V. D. Domini noſtri protectioni comendo. qui potens eſt ſi voluerit eripere ex ore leonis rugientis qui circuit quærens quem deuoret. Vale Domine colende 24. Nouembris 1592.

DECRE-

DECRETVM PARLAMENTARE IN COMITIIS ANglicanis editum contra Catholicos 10. Aprilis 1593. cuius inscriptio in exemplari impresso est pro restringendis recusatoribus Pontificijs ad certa loca habitandi.

Præfatio omnium Catholicos.

VT melius patefiant & euitentur proditoriæ & periculosæ conspirationes ac conatus qui quotidie excogitantur & tractãtur cõtra gratiosissimã supremã Dominam nostrã Reginã, & cõtra fœlicem huius reipub. statũ per impios & seditiosos quosdam homines, qui se appellant Catholicos, reuera autem exploratores & intelligẽtiarij sunt, non solum pro externis suæ Maiestatis hostibus, verum etiam pro rebellibus & proditorijs subditis, qui intra celcitudinis suæ regna & Dominia morantur, tegentes detestabilia & diabolica proposita sua sub falso prętextu religionis, & cõscientiæ, & hinc inde vagantur clam surripientes se de loco in locum intra hoc regnum, vt corrumpant & seducant Maiestatis suæ subditos, & ad seditiones, rebellionesque incitent.

1. *Recusatores conuicti tenentur ire loca insueta habitationis, nec indiscedere vltra aliq; mil liaria.*

Ordinatum & sancitum sit per supremam Dominam, Maiestatem Regiam & per Dominos spirituales ac temporales & populi Anglicani procuratores in hoc parlamento congregatos, & authoritate eiusdem parlamenti, quod omnes qui 16. excesserint, & intra Maiestatis suæ regna vel Dominia nati fuerint, vel in ciues ascripti, si recusatores Pontificij reperiantur, & ea de re antè finem huius Parlamenti conuicti, quod non adeant ecclesiam aliquam aut capellam, aut locum communi orationi designatum vt ibi diurno cultui intersint, sed abstinebunt ab eodem contra leges & statuta huius regni ad hanc rem pertinentia, hi inquam si habent aliquem certum locum habitãdi, aut morandi intra hoc regnum, obligabuntur infra spaciũ 40. dierum post finem huius parlamẽti recipere se ad hũc locum habitationis suæ ordinarium & ibi manere, nec inde discc-

de discedere vltra spacium 5. milliarium sub pœnis infra scriptis amissionis omnium bonorum si modo intra hoc regnum fuerint tempore huius decreti, & non impediti carceribus aut restricti mandato aliquo suæ Maiestatis aut ordine & directione sex consiliariorum secretorum suæ Maiestatis, aut morbo aliquo & infirmitate corporali huiusmodi vt sine euidenti vitæ periculo iter facere nō possint nam in huiusmodi casibus & impedimentis siue per absentiam extra regnum, siue per restrictiones iam dictas obligantur decreti huius intentionem complere & loca habitationis consuetæ adire infra 20 dies postquam in regnum redierint vel a dictis impedimentis liberati fuerint.

Ordinatum præterea & sancitum sit quod omnes qui 16. ætatis annum excesserint, & intra Maiestatis sua regna vel Dominia nati vel in ciues à scripti fuerint, si habēt vel postea habebunt vllum certum habitandi locū intra hoc regnum, & recusatores Pontificii fuerint, & vllo postea tempore legitime ea de re conuicti fuerint, quod ecclesiam, liquam vel capellam vel locum communi orationi deputatum non adierint vt diuino cultu inter sint, sed abstinebūt ab eodem contra leges & statuta huius regni, vt dictum est, tenebuntur infra 40. dies post suam conuictionem (si illo tempore intra regnum fuerint, & nō impediti aliquo illorum impedimentorum quæ supra nominata sunt) recipere se ad locum suæ consuetæ habitationis, vt dictum est; & si extra regnum fuerint tempore suæ conuictionis aut impediti vt supra, tunc tenebuntur eo se recipere intra 20. dies à suo reditu in regnum, aut à liberatione ab impedimentis prædictis, nec vllo vnquam tempore postea ab inde recedent, aut egredientur vltra spacium quinque milliariorum sub pœna quod vnusquisque qui offenderit contra tenorem & intentionem huius decreti in requalibet iam commemorata, perdet omnia bona sua mobilia in perpetuum, possessiones vero, hæreditates, census, redituſque & bona immobilia cedent fisco regio durante vita delinquentis tantummodo & non amplius.

2. Recusatores qui conuincentur tenebuntur ca consuetæ habitationis adire inde nō cedere.

Sancitum sit præterea authoritate prædicta omnes istius modi recusatores Pontificios ciues natos, vel ascriptos, & 16 æratis annum excedentes, vt dictum est, si nullum certum ordinarium habitationis locum habuerint teneri

3. Qui l certa ha tationis habuerū

modo quo

modo quo prædictum est infra 40. dies post finem huius parlamenti recipere se ad locum vbi nati fuerint, aut vbi Pater materue vel eorum alter habitauerint nec inde recedent aut egredientur vltra circuitum 5. milliarium sub pœnis prædictis.

Statutum præterea authoritate prædicta, quod vnusquisque qui offenderit contra aliquid in hac lege ante ordinatum, si terras aliquas tenuerit, aut hæreditates per scedulas regiſtri curialis, aut alijs modis ad placitū & volūtatem Domini secūdū cōsuetudines regni Anglicani, tunc huiusmodi delinquens perdit omnes & singulas terras, tenentias, & hæreditates huiusmodi durante vita delinquentis, cedentque in vsum Dominorum à quibus tenentur nisi ipsi Pōtificij recusatores fuerint, & conuicti quod ecclesias non adeant, vt diuino cultui interſint, aut probētur illis terras & hæreditates possidere ex commissione, & fidentia alterius Domini, qui Pontificius recusator fuerit, nam in hoc casu omnia cedent fisco regio in suæ Maiestatis vsum.

Prouisum insuper, & vlterius sancitum sit áuthoritate prædicta, quod omnes qui iuxta veram intentionem huius legis, & decreti tenentur recipere se ad locum suæ ordinariæ habitationis, aut ad locum in quo nati fuerint, aut in quo pater aut mater eorum habitauerint, & non inde recedere vltra 5. milliaria vt prædictum est, tenebuntur &c. infra 20. dies postquam eo peruenerint, significare aduentum suum & præsentare semetipsos, & tradere vera nomina sua in scriptis ministro, vel parocho eiusdem paræsiæ, & conteſtabili, alijuè Magistratui qui in illo oppido aut villa fuerint, quæ omnia Parochus statim in librum inscriber hac de causa præparatum, & idem parochus cum Magistratu hoc ipsum in scriptis significabunt Iusticiarijs pacis eiusdem Comitatus in proximis semestribus, vel trimestribus sessionibus quæ in illo Comitatu habebuntur, & ijdem Iusticiarij curabunt hoc ipsum referri in acta publica illarum sessionum per notarium pacis.

Et vt regnum hoc non grauetur, & oneretur multitudine istiusmodi seditiosorum, & periculosorum hominū, qui nihil habent quo soluant pœnas debitas, quæ illis infliguntur ob contemptum, & inobedientiam contra leges

& statuta

& ſtatuta huius regni, & cum carceribus ob hanc cauſam traduntur, melius ibi vt plurimum ſuſtentantur & viuant lautius, quam potuiſſent foris in ſua libertate exiſtentes, Domini ſpirituales & temporales, & populi procuratores in hoc parlamento congregati humiliter & inſtanter à regia Maieſtate petierunt, vt vlterius ſanciretur omnes iſtiuſmodi Pontificios recuſatores (niſi fæminæ fuerint ſub poteſtate virorum) qui conditionis tenuioris fuerint, nec habuerint terras, hæreditates, cenſus, aut reditus annuos ad valorem 20. marcarum Anglicanarū liberos certoſque deductis omnibus expenſis, aut bona mobilia ad valorem 40. librarum Anglicanarum, & tamen offenderint contra aliquid in hoc decreto contentum, ita vt vel non recipiunt ſe ad loca prædicta infra tempus præordinatum, aut non ſignificauerint ſuum aduentum, aut ſeipſos non præſentauerint, aut nomina ſua vera nō dederint in ſcriptis parocho aut magiſtratui illius loci tempore modoque præordinatis, aut receſſerint inde extra 5. milliaria, aut comprehenſi ob aliquod horum delictorum non ſe conformauerint intra tres menſes vt adeant eccleſias, & publicam confeſſionem & ſubmiſſionem faciant, eo modo quo poſtea in hoc decreto præſcribitur, cum ad hoc requiſiti fuerint ab Epiſcopo diocæſano, aut ab vllo iuſticiario pacis eiuſdem comitatus, vel a miniſtro aut parocho eiuſdem paræciæ, tunc in omnibus his caſibus delinquentes obligabuntur interpoſito iuramento corporali (quotieſcunque erunt ad hoc requiſiti per duos Iuſticiarios pacis, aut fiſcalem eiuſdem Comitatus) abiurare regnum hoc Angliæ, & alia omnia ſuæ Maieſtatis dominia in æternum, atque hoc facient in præſentia duorum quorumcunque Iuſticiariorum pacis, vel fiſcalis eiuſdem Comitatus, & ſecūdū hoc recedēt ab hoc regno per illum portum, & eo tempore quo erit illis præſcriptum per eoſdem iuſticiarios pacis & fiſcalem coram quibus facta eſt abiuratio, niſi forte iſtiuſmodi delinquētes impediantur legitima aliqua & rationabili cauſa approbata per leges communes huius regni in caſibus abiurationis pro crimine capitali; & in tali caſu recedent poſtea tempore per leges conſtituto, & iuſticiarij pacis aut fiſcalis coram quibus facta eſt abiuratio, curabūt eandem referri in acta

Pauperio
res delin
quentes c
tra hoc d
cretum c
gentur a
iurare.

Libra fac
4. ſcutos
monetæ
talicæ,
Marca v
rò facit
duas ter
tias libr

publica, eamque transmittent ad iudices assessuum, & causarũ criminalium in proximis comitijs eiusdem Comitatus.

7. *...na ca... in eos ... abiu... re recu... nt aut ...ertũtur ...e licen...*

Si autem aliquis ex istiusmodi delinquentibus abiurare recusauerit, aut post abiurationem non recedit ex hoc regno, eo modo & tempore quo dictum est, aut post dissessum reuersus fuerit in aliquod regnum, aut Dominium suæ Maiestatis, sine Reginæ speciali licentia prius habita & obtenta; tunc omnis huiusmodi delinquens iudicabitur reus capitis, & capitali pæna plectetur excluso omni beneficio clericatus.

8. *...xamina... qui non ...spondent ...rectè ...rceribus ...adendi.*

Sancitum præterea & ordinatum sit authoritate prædicta, si aliquis in suspicionem venerit quod Iesuita, aut Seminarius, aut Sacerdos missificans sit, & examinatus fuerit ea de re a persona legitimam authoritatem ad hanc rem habente, & recusauerit respondere directè & verè, An Iesuita sit, aut Seminarius, aut sacerdos missificans, tradetur carceribus sine vlla spe liberationis siue per fide iussionem aut alio modo donec directè vereque respondeat ad interrogata sibi proposita.

9. *...icencia ...rediendi ...tra septa ...negotia ...auia.*

Prouisum tamen sit & vlterius ordinatum authoritate prædicta, quod si aliquis ex illis qui obligantur continere se intra 5. milliaria iam dicta, negotium aliquod vrgens & necessarium habuerit egrediendi extra dictum limitem illud facere poterit cum licentia prius habita in scriptis duorum iusticiariorum pacis eiusdem Comitatus cum assensu Episcopi diocesisani vel locum tenẽtis Reginæ aut eius Deputati in eodem comitatu modo hæc licentia vt dixi in scriptis habeatur & egrediens reuertatur tempore limitato in eadem licentia.

Prouisum etiam sit quod si aliquis ex istiusmodi restrictis, vt supra dictũ est, vrgebitur per aliquem processum litis sine fraude & dolo comparere in aliquo tribunali suæ Maiestatis, aut citabitur mandato trium aut plurium Consiliariorum ex consilio secreto suæ Maiestatis, aut quatuor pluriumué commissionariorum per suam Maiestatem assignatorũ in huiusmodi casu poterit quis egredi pro tempore illi præscripto.

10. *...icencia ...gredsendi*

Prouisum sit præterea quod si recusatores Pontificij ad locum certum stricti iubebuntur aliquando edicto aliquo sine

aliquo ſine fraude & dolo edito tradere ſe ſuaque corpora in manus vice comitis eiuſdem comitatus in quo fuerint, quod tunc non incurrunt pænam aliquam ob egreſſum extra terminum 5. milliarium vt edicto obediant modo ſine fraude & dolo fiant & tempore conuenienti reuertantur.

vt tra… ſe cuſt… vicecom… tis.

Ordinatum præterea & ſancitum ſit authoritate prædicta, omnes qui poſt hac contra decretum hoc offenderint, ſi antequam de eo conuicti fuerint ipſi ſua ſponte ad parochialem aliquam eccleſiam in die Dominico, aut feſtiuo iuerit & ibi eodem tempore diuino cultui interfuerint, & ante concionem, aut lectionem Euangelij, fecerint publice ſubmiſſionem ſolennem, & declarationem ſuæ conformitatis ad Regiæ Maieſtatis ſtatuta, vt in hoc ipſo decreto ſtatim declarabitur ac præſcribetur tunc omnes huiuſmodi delinquentes liberabuntur ſtatim ab omni pæna in hoc decreto ordinata, forma aut huiuſmodi ſubmiſſionis huiuſmodi erit.

11
Subm… tes ſe … ante co… ctione… berant

Ego A. B. humiliter confiteor & agnoſco me grauiter offendiſſe Deum in eo quod pias Maieſtatis ſuæ leges contempſi, & legitimam eius gubernationem & authoritatem violaui, ex eo quod ab Eccleſia me ſubduxi, nec officio diuino interfui contra ac piæ leges & ſtatuta huius regni præcipiunt; huius rei ex animo me pænitet & agnoſco, teſtorque in conſcientia, neque Pontificem neque ſedem Romanam quicquam habere authoritatis, aut iuriſdictionis neque debere habere in ſuam Maieſtatem, nec in vllum intra ſuæ Maieſtatis regna vel Dominia; promitto item atque proteſtor abſque vlla diſſimulatione & ſine omni prætextu & ſpe diſpenſationis quod deinceps ero obediens erga Maieſtatis ſuæ leges & ſtatuta, & adibo eccleſias & officijs diuinis interero, & faciam quicquid in me eſt vt eadem tuear ac defendam.

12
Forma … ſubmi… nu pr… tholici…

Hanc vero ſubmiſſionem & declarationem ſuæ conformitatis miniſter aut parochus paræciæ in qua facta fuerit, curabit ſtatim in librum publicum inſcribi, qui hac de cauſa in ſingulis paræcijs aſſeruabitur, & infra 10. dies proximè ſequentes eius rei certiorem faciat Epiſcopum diocæſanum.

13
Relab… perdū… ne be… cium … miſſi… facta…

bentes
unt
e bene-
m ſub-
onis
s.

Prouiſum denique & ordinatum ſit, quod ſi aliquis ex delinquentibus poſt ſubmiſſionem iſtiuſmodi factam iterum deinceps relabatur, & fiet recuſator, tunc amittet omne beneficium ſubmiſſionis iam factæ, & in eodem ſtatu erit, eiſdemque pænis obnoxius, perinde ac ſi nunquam fuiſſet facta huiuſmodi ſubmiſſio.

DECRETVM PARLAMENTARE CONTRA PVRITANOS ANGLICANOS EDITVM IN REGNI COMITIIS HABITIS Londini 10. Aprilis huius anni 1593. regni vero Elizabethæ 35. cuius inscriptio in exemplari impresso hæc est.

Sanctio pro Regiæ Maiestatis subditis in debita obedientia retinendis.

VT præueniantur & euitentur grauissima discrimina, quæ ex periculosis seditiosorum sectariorum, aliorumque perfidiosorum impijs artificijs accidere, & exoriri possint; A regia excellentissima Maiestate Dominis spiritualibus & temporalibus populique procuratoribus in hoc pręsenti parlamento Anglicano congregatis, huiusque authoritate sancitum sit. omnes, qui decimum sextum ætatis annum egressi, obstinatè recusauerint, Ecclesiã adire locũue communi orationi deputatum, vt diuinum officium, quod suæ maiestatis legibus ac decretis ad hanc rem pertinentibus, confirmatum est audiant, & sine legitima causa hoc facere detrectauerint per spacium vnius mensis proximè insequentis post hoc parlamentum finitum; si post dies quadraginta dictos à fine huius parlamenti, imprimendo, scribendo, aut expresse loquendo, scientes aut prudentes attentauerint, aut conati fuerint, cuiquam è suæ Maiestatis subditis, alijsue intra suę sublimitatis regna atque dominia existentibus persuadere, vt negent aut impugnent suæ maiestatis primatum & authoritatem in causis ecclesiasticis, vnitam & annexam Imperiali huius regni coronæ; aut in hunc finem callide & malitiosè cuiuis persuaserit, ne accedat ad ecclesiam sicut dictum iam est, vt diuinis officijs intersit aut communionem recipiat iuxta sua Maiestatis prædictas leges & statuta, vel si persuaserint vt intersit & præsentem se exhibeat alijs quibus-

Præfa
1.
Purita
recusa
adire
testant
Eccles
vel neg
Regin
Prima
vel alij
persuad
tes car
bus m
dãdi s

 uis vetitis

uis vetitis conuenticulis, aut concionibus ſpecie cuiuſuis alterius exercitij Religionis quæ ſuæ Maieſtatis legibus & ſtatutis contraria erunt, aut ſi quis ſua ipſius ſponte vel alterius perſuaſione & allectationibus inductus, ſe huiuſmodi conuenticulis adiunxerit, ſancitum, inquam, ſit, omnes qui hoc pacto vti diximus, deliquerint & eius rei legitime conuicti fuerint, carceribus mancipandos eſſe, inde planè nulla ratione, id eſt neque fideiuſſione, neque alia quacunque ſecuritate præſtita liberandos, quoad ipſi ſe conformarint, ac contenti fuerint omnia prædicta facere iuxta Maieſtatis ſuæ leges & decreta, & eam inſuper exhiberi palam ſubmiſſionem, recantationem, & declarationem huiuſce ipſorum dictæ conformitatis, quæ poſtea in hac ſanctione declaratur, & ſtatuitur.

Prouiſum inſuper & ſancitum ſit, predicta totius parlamenti autoritate, quod ſi aliqui contra præmiſſam ſanctionem offenderint, & intra tres menſes proximos, poſtquam conuicti fuerint huiuſmodi criminis, ſeipſos non conformauerint obedientiæ legum & ſtatutorum huius regni, vt Eccleſias adeant, & diuinis officijs interſint, & ſubmiſſionem ſiue recantationem publicam, eo modo quo poſtea in hac ſanctione ſtatuitur, & exprimitur, non exhibuerint, vbi ad id requiſiti fuerint ab Epiſcopo dioceſano aut ab vllo iuſtitiario pacis illius Comitatus, in quo erunt huiuſmodi delinquentes, aut ab ipſo miniſtro, vel parocho: tunc iſtiuſmodi delinquentes, dato iuramento ſolemni, coram iudicibus vel iuſticiarijs pacis, in publicis iudicijs & conceſſibus, qui tertio quoque menſe exercentur, aut in alijs criminalibus iudicijs publicis eiuſdem comitatus, qui aſſeſſus vocantur, abiurabunt penitus hoc regnum Angliæ, & quæcunque alia regiæ Maieſtatis dominia, vt eadem relinquant quandocunque ad illud legittime requiſiti fuerint, neque vnquam reuertentur niſi ſua Maieſtas facultatem fecerit redeundi: adeoque ſtatim excedent ex hoc regno per illum portum & in eo tempore quo prædicti iudices ante quos facta eſt eiuſmodi abiuratio aſſignauerint, niſi talis delinquens legittima & neceſſaria cauſa retardetur, qualis communibus, huius regni legibus permittitur & approbatur in caſibus abiurationis pro crimine capitali; & tunc in eiuſmodi caſibus moræ

vel impe-

vel impedimenti excedendi, excedent ſtatim poſtea ceſſante dicti impedimenti cauſa. Iudiciarij verò pacis coram quibus fiet huiuſmodi abiuratio, curabunt eandem ſtatim referre in publica ſcripta, iudiceſque cauſarum tum publicarum, tum criminalium de ea certiores facient, in proximis eiuſdem comitatus comitijs.

3. *Abiurę recuſan vel non euntes pite d nandi.*

Quod ſi iſtiuſmodi delinquentes iuxta tenorem & intentionem huius ſanctionis prædictam abiurationem facere recuſauerint, aut poſt eam exhibitam, non ſe contulerint ad talem portum, & infra tale tempus quod illis præſcribetur, vel inde non diſceſſerint ex hoc regno iuxta præſens decretum: aut ſi poſt ſuum diſceſſum reuerſi fuerint in ſuæ Maieſtatis regna aut dominia abſque ſpeciali ſuæ Maieſtatis licentia ſuper hac re prius habita & obtenta, tunc omnis huiuſmodi delinquens capitis condemnabitur, & ab omni priuilegio clericatus excludetur.

4. *Recan tes ſpo ſua pa libera*

Præterea ſancitum ſit auctoritate præſentis Parlamenti, quod ſi quis ex illis, qui poſtea offenderit contra hanc ſanctionem, antequam requiſitus fuerit, vt abiuret iuxta tenorem huius ſanctionis, Dominico feſtouè aliquo die Eccleſiam aliquam adiuerit Parochialem, & tunc temporis eoque in loco diuinum officium debite audierit, & ibidem ante concionem, aut lectionem Euangelij, palam ſe ſubmiſerit, ſuamque declarauerit conformitatem & obedientiam ad Maieſtatis ſuæ leges & ſtatuta ea forma ſubmiſſionis quæ ſtatim in hac ſanctione præſcribetur, tunc huiuſmodi delinquens hoc ipſo liberabitur ab omnibus mulctis & ſupplicijs, quę in huius ſanctionis ob illa delicta infliguntur, ſubmiſſionis porro, quæ fieri debet, hæc eſt formula.

5. *Form ſubm nis ſe canta nis pr ritan*

Ego A. B. humiliter confiteor & agnoſco, me Deum in eo grauiter offendiſſe, quod Maieſtatis ſuæ piam ac legittimam ſpreui gubernationem & auctoritatem ex eo quod ab Eccleſia me abſtinui, & diuinis officijs non interfui, ac contra pias leges & ſtatuta huius regni præcipiunt, & quod frequentaui inordinata & illegittima conuenticula & conuentus ſub ſpecie & prætextu exercitij religionis. Huius rei me ex animo pœnitet, & præterea agnoſco & in conſcientia teſtor nullam aliam perſonam habere aut debere habere iuriſdictionem & poteſtatem

vllam, autoritatemue ſuper ſuam Maieſtatem. Promitto etiam & proteſtor abſque vlla diſſimulatione & ſine omni colore aut ſpe diſpenſationis, me deinceps ſemper obtemperaturum & ſeruaturum Maieſtatis ſuæ leges & ſtatuta, Eccleſias adeundo & audiendo diuina officia, eaq; contra omnes pro viribus tuebor & defendam.

Miniſter autem quilibet aut Parochus eius loci in quo fiet hæc ſubmiſſio, & declaratio conformitatis, eandem curabunt diligenter in librum aliquem referri qui in ſingulis paræcijs ſeruandus eſt in hunc finem & infra decem dies proximè ſequentes Epiſcopum eius Dioceſis de eadem re certiorem facient.

Prouiſum nihilominus ſit, quod ſi iſtiuſmodi delinquens poſt factam ſubmiſſionem, vt dictum eſt, rurſus relaberetur, aùt iterum obſtinatè recuſarit accedere ad eccleſiam, aut iſta ſubterfugeret, vt prædiximus, aut intereſſet huiuſmodi conuenticulis quæ ſupra dicta ſunt ſub colore vel prætextu exercitij religionis, quæ ſuæ Maieſtatis legibus contraria eſt, tunc amittet omne beneficium ſubmiſſionis iam factæ, & eodem in ſtatu erit quo fuiſſet ſi nunquam præceſſiſſet aliqua ſubmiſſio.

Et quoniam ſinguli quibus eſt domus & familia ex officio tenentur bonam eiuſdem gubernationem & ordinem curare, prædicta auctoritate ſancitum ſit, quod ſi qui vllo tempore deinceps releuabũt, fouebunt, aut domi ſuæ retinebunt eos, qui obſtinate recuſabunt adire eccleſias & diuina officia audire, & ab his abſtinebunt ſpacio vnius menſis contra leges & ſtatuta huius regni, huiuſmodi omnes qui hæc præſtiterint, poſtquam admoniti fuerint ab ordinario Dioceſis, aut Iuſticiario pacis illius comitatus in quo viuunt, aut à Miniſtro, Curato, vel AEdilibus illius Pareciæ vbi erunt iſtiuſmodi perſonæ ne faciant, ſoluent Regiæ Maieſtati pro ſingulis perſonis quas ita releuarunt, ſuſtentarunt, ſeruarunt poſt prædictam admonitionem decem libras monetę Anglicanæ per ſingulos menſes quibus huiuſmodi perſonas apud ſe retinuerint ſic delinquentes.

Prouiſum tamen ſit, quod hæc ſanctio non extendatur vllo modo ad illos puniendos qui releuant, ſuſtentant, retinent ſuas vxores, parentes, liberos, pupillos, fratres, ſorores,

ſorores, vxorumuè ſuarum patrem, aut matrem qui nullam certam ſuam habitationem habeant, aut manſionem aut maritos, vel vxores cuiuſuis eorum, aut qui releuant, ſuſtentant, vel ſeruant quamcunque perſonam quæ publica autoritate cuſtodiæ illorum committetur, non obſtante quacunque re in hac ſanctione contenta in contrarium. *pro cõſanguineis.*

Vt autem facilius colligantur, & recuperentur in vſum Regiæ Maieſtatis, mulctæ pecuniariæ, quæ ex hoc decreto vel etiam ex decreto * facto contra recuſantes adire eccleſias, anno Regni Elizabethæ 23. ſancitum ſit, prædicta totius parlamenti authoritate, vt omnes ac ſingulæ prædictæ mulctæ, debita, & confiſcationes poſſint, ac debeant recuperari in vſum ſuæ maieſtatis per actionem debiti, ſchedulas informationis, aut alia inſtrumenta legalia quæ adhiberi ſolent ad debita fiſco recuperanda, eaque in re nulla exceptio, fauor, dilatio, aut protectio admitti debebit. Prouiſum tamen ſit, vt tertia pars multarũ, quæ in fiſci vſum, ex virtute huius decreti cedet, in eos vſus pios diſtribuetur, & ad illum modum quo præſcribitur in decreto facto 28. anno regni ſuæ Maieſtatis contra recuſantes. 9. *Pro recuperandis mulctis.* * *Ex hoc decreto quilibet recuſans ſcatholicus oluit 20. libras quolibet mẽſe.*

Prouiſum etiam ſit, quod nullus recuſans Papiſticus aut mulier nupta cogetur abiurare patriam, vi huius decreti. 10.

Præterea quicunque virtute huius decreti patriam abiurabit, aut abiurare recuſabit, cum ad illud legittime requiſitus fuerit, vt ante prædictum eſt: bona ſua omnia mobilia in vſum Regiæ Maieſtatis in perpetuum amittet; poſſeſſiones vero, cenſus, reditus, & bona immobilia, perdet tantummodo durante vita delinquentis & non vltra. vxor autem delinquẽtis vi huius decreti dotem nõ amittet ſuam; ſed nec vlla natalium nota vel infamia orietur, ex quocunque delicto contra hoc decretum commiſſo, quo minus hæredes poſt delinquentium mortem in dictas poſſeſſiones, cẽſus, reditus & bona immobilia ſuccedant perinde ac ſi nullum extitiſſet huiuſmodi ſtatutum. Hoc autem decretum vſque ad finem ſequentis ſeſſionis Parlamentaris tantum durabit & non vltra. 11. *Bona abiurantium amittũtur.* 12. *Nota hanc exceptionẽ.*

DE PRINCIPIIS ET PLACITIS PVRITANORVM IN ANGLIA.

PVritanorum secta quædam est soboles Protestantium quæ 20. circiter ab hinc annis cæpit in Anglia ex doctrina Caluini pullulascere: ita nominata eo quod purius prætendebãt se omnia exigere ad normam verbi & doctrinæ Caluini anæ, & longius recedere, indeq; puriores quoq; se reddere à consuetudinibus, ceremonijs & forma regiminis Ecclesiæ Catholicæ, nec nõ & Protestanticæ Anglicanæ, quæ in multis Catholicam imitatur vel potius simulat: ita vt reuera hæc differentia Protestantium & Puritanorum Anglicanorum non erat ab initio alia quàm mollium & rigidorũ Caluinistarum, quanquam postea alia quoque dogmata Puritani recentiores Brouniſtæ dicti, superadiderint.

ic debes cere.

Primus qui pro hac secta Puritanorum prodijt scriptor Anglicus vocatus est Tho. Carturightus, qui paulò post Anglia ejectus Geneuam se recepit, & inde Hollandiam. Contra quẽ pro Ecclesia Angliæ Protestantica & Episcopis, quos alter odiosè admodũ diuexabat, scripsit Doctor Protestãticus nomine VVhitgiftus, qui postea in propugnationis huius mercedem Archiepiscopatum quoq; Cantuarienſem accepit, quem hodie possidet, & præterea ex consilio Regio quod secretum vocant, factus est, magno malo Puritanorum.

Euulgati sunt postea hinc inde ab vtraq; secta plurimi libelli, partim calumnioſi mirũ in modum, & acerbi contra se inuicẽ, partim etiam ridiculi, & prophani. Nonnulli etiam à Puritanis adeo in spiritu suo furibundo progressi

Hacket.

sunt, vt alius se Christi Domini animam in corpore suo gestare ore blasphemo affirmauit: inq; huius rei testimonium, Prophetas duos, quos vocauit misericordiæ, &

Coppinger. Ardingtõ.

iustitiæ, emisit, qui ipsum Pseudochristum prædicarent. Quod fecerunt, & paulo post suspendio necatus fuit ille Christus, misericordiæ verò Propheta in carcere est extinctus. Alius verò Christum iam tandem Hierosolimas aduentasse, ibique tantũmodo colendũ esse Iudaicè

Kett.

affirmauit,

affirmauit, & pertinaciter in blasphemia moriens perstitit, & exustus est. Nonnulli alij etiam similes ob causas affecti sunt supplicio. *Copin. Elyot.*

Inter plures autem libros qui pro & contra conscripti sunt, æditus est vnus, anno 1590. ad D. Thom. Henegium vicecamerarium equitem auratum, & qui Reginæ etiam à consilijs est inscriptus, authore Ministro Protestantico nomine Richardo Alisono, qui sequentes articulos Puritanismi ex Puritanorum scriptis, & libris collegit, & tanquam hæreticas refutauit. Nuncupantur etiam Puritani ab authore recentiori, quam Carturightus, qui etiam in peius profecit, & longius in hæresi progressus est dicto Brown, Browniſtæ, quo nomine in dicto libro Alisoni & à Protestantibus passim censentur.

PVRITANORVM CEV BROVVNISTARVM DOGMATA EX ALISONO.

ORatio Pater noster non debet dici Oratio Dominica: nusquam enim legimus ipsum Dominum orandi causa eadem vsum esse, sed tantum indicauit nos similia posse orare: nos autē si eadem vtamur tanquam certa & præscripta formula orādi malè facimus, & limitamus, & modum imponimus Spiritui Sancto. 1.

Nullæ Canonicæ ceu aliæ preces certæ præscribendæ sunt. Preces matutinæ & vespertinæ vsitatæ in Ecclesia Anglicana sunt garrulæ, apocriphæ, & idololatricæ. 2.

Protestantium Liturgia, ceu liber communionis (vt vocant) consuta est ex Papæ Breuiario, estque idololatrica, superstitiosa, cultus Dei fictus, & excogitatus, farrago infinitorum crassorum, & blasphemorum errorum, Pseudodiathesis, ementitum nouum Euangelium, idolum, ingens Chaos prolixarum & plurimarum in vnam consutarum absurditarum: Denique Missale. 3.

Ecclesia Anglicana subdita est & obnoxia cultui prædicto & constat ex omni genere immundorum Spirituum, Atheorum, Papistarum, Hæreticorum, & non est 4.

verum

verum membrum corporis Christi.

5. Regimen etiam eiusdem Ecclesiæ est illegitimum, Antichristianum & Papisticum.

6. Cum neque habeant legitimũ ministerium, nec fidelẽ, sanctum & liberalem populum, Sacramenta ipsorum non sunt vera sacramenta, nec sigilla habentia promissionem annexam,

7. Pij Christiani non debent afferre liberos suos ad conuentus ipsorum parochiales, vt baptizentur in illam societatem & professionem.

8. Non est expectanda reformatio Babelis 1. Pseudoecclesiæ Anglicanæ, sed quicunque salui esse cupiunt tenẽtur ipsam deserere etiam Principe prohibente.

9. Presbyteratus ceu Senioritas non potest excommunicare sed tota Ecclesia.

10. Minimo membro communicanti cum Ecclesia æquè competit ius in omnibus censuris infligendis quam ipsi Pastori. Princeps etiam subijcitur censuræ. (Notat Alisonus hinc Brouniſtas priuatos in carcere positos concaptiuos inuicẽ excommunicasse, Petrum V.G. Ioannem, & vicissim Ioannem Petrum, quod (inquit) risum mouit Papistis, qui in eodem carcere præsentes aderant.)

11. Regina non est supremum caput Ecclesiæ, neque habet authoritatem condendi leges Ecclesiasticas, (concluſum in conuentu fratrum Brouniſtarũ supra viginti) sed iam quidam ex ipsis qui molliores sunt aliquando concedunt illam esse supremum magistratum & gubernatricem in causis omnibus.

12. Licitum est homini priuato prædicare verbum Domini & interpretari scripturas in publicis conuentibus sine vlla licencia.

13. Adire Ecclesias Protestanticas in Anglia, vt interſit quis precibus publicis graue peccatum est contra primã legis tabulam & Idololatricum.

14. Licet coram magistratu tantummodo præstare iuramentum, sed non exigentibus Episcopis Anglicanis, neque manu admota (vti solet) libro.

15. Neque decimæ, neque certa stipendia vel beneficia approbantur ex verbo Dei, sed tenentur verbi veri Ministri viuere ex beneuolentia fratrum.

DE

DE REBVS PVRITANORVM LONDINI 20. APRIL. 1593.

HAc quadrageſima capti fuerunt in ſilua quadam hic iuxta Londinum 70. Puritani ex feruentioribus, qui à Brouno doctore quodam recentiori, qui nonnulla addidit ſectæ iſtius dogmatibus, Brouniſtæ vocantur. Congregabantur iſti ad exercitium (vt vocant) religionis ſuæ, quod nolunt fieri in prophanis Proteſtantium Eccleſijs, & ſi magiſtratus tam importunè in cœtum hunc non irruiſſet, longè copioſior fuiſſet congregatio, & multi defugerunt aduenientе magiſtratu, ita vt plures quam 70. comprehendi non poterant.

Statim poſt ex ſpeciali Reginæ mandato iuſſus eſt fieri proceſſus de comprehenſis, & Iudices nominati mandarunt duodecim viris, pro more patriæ, ſententiam ferre de qualitate criminis, nimirum ſi erat capitale, vt deinde ad probationem facti diſcenderetur. Cumque res in publico fieret, & omnibus videretur tam manifeſta, vt nullum dubium aut moram habitura eſſet: à mane tamen ad veſperā protracta eſt, nec tandem elici cōſenſus potuit. Vnde animaduerterunt Iudices bonam partem 12. virorum ex Puritanis eſſe, quod ipſis, ac Reginæ magnam bilē mouit, & inſtituto de eis examine carceribus ſunt traditi.

Et quia per examē hoc intellectum eſt, duos Puritanos præcipuos, qui iam ab aliquo tempore detenti fuerant in carcere, quorū nomina ſunt Barous, & Greenuodus, eſſe duces ad hos Brouniſtas, & authores præterea duorum librorum paulo ante inter cæteros æditorum, in quibus omnis authoritas Eccleſiaſtica, & magna etiam ex parte poteſtas politica Reginæ tollebatur, & Chriſtiana eſſe negabatur, hij duo in terrorem aliorum producti fuerunt in iudicium. Cuius hiſtoria vna cum hijs mittitur.

Hijs verò duobus extremo ſupplicio affectis, alius etiam propter verba ſeditioſa laqueo ſuſpenſus fuit alio in loco, cuius corpus cum quidam Puritanus, tanquam alter Ioſephus ab Aramathia introiſſet audacter, & petiſſet, inuoluit illud Syndone, & petitum in feretro de nocte poſuit ad oſtium Iudicis cum multis libellis affixis quibus illi mortem æternam & toti Reipub. ruinam minabatur ob

hoc ac ſimilia homicidia, huncque 16. eſſe martyrem affirmabat ex ſua religione. Hijs alijſque ſimilibus euentis coacti fuerunt Proteſtantes hijs comitijs aliquid promulgare contra Puritanos, licet inuitis plurimis & repugnantibus.

Plurimi etiam libri hoc ipſo tempore authoritate publica ſcripti & impreſſi ſunt contra Puritanos, quorum vnus hunc habet titulum. Reſponſio ad libellum quendam ſupplicatorium ſeu potius diffamatorium, & ad Articulos quoſdam & Interrogationes calumniatorias propoſitas ſub nomine petitionis humilis ad ſuam maieſtatē pro ſtatuenda diſciplina Eccleſiaſtica: ſed reuera diuulgatas ad infamandum ſtatum Eccleſiaſticum huius regni per diſciplinarios quoſdam ſeditioſos ac calumniatores friuolos. Authore Matthæo Sutcliffo. Impreſſum Londini cum licentia per Ioannem VVolfum, 1593.

Alius liber hunc habet titulum. Geneuatio Anglicana: qua diſciplina Geneuenſis & Scotica per molitiones ſeditioſas, minas & vim quæritur. Et in priori parte huius libri acerbiſſimè inuehitur in Caluinū & Bezam auctores huius diſciplinæ & regiminis Eccleſiaſtici quod iſti prætendunt.

Sed poſtremò prodijt iam tertius liber auctoritate omnium Epiſcoporum Angliæ contra hos Puritanos: & titulus libri eſt. Contemplatio ſanctæ diſciplinæ prætenſæ: qua exponuntur principia, progreſſus, partes, finis, authoritas & doctrina eiuſdem, vna cū infinitis repugnantijs, craſsis contradictionibus, varietatibus & inconſtantijs quas habet. Collecta fideliter per modum hiſtoricæ Narrationis, ex libris ſcriptiſque præcipuorum fautorum iſtiuſmodi diſciplinæ. Impreſſum Londini &c. vt ſupra. In hoc libro aſperius quam in vllo alio declamatur in Caluinum & Bezam ſuper modum regendæ Eccleſiæ, & dicuntur habuiſſe ſpiritus inquietos & planè ſedtioſos. Aliqui tractatus, molitiones, negotiationes, fraudes & technæ quibus vſi ſunt in ambiendo regimine Geneuenſi reuelantur & explicantur: Acta publica & conſultationes hijs de rebus inter ipſos habitæ proponuntut: Litteræ etiā priuatæ tam Caluini quam Bezæ ad alios ſuæ factionis miniſtros producuntur. Bezæ etiam Epiſtolæ ſeditioſæ

ad miniſtros

ad miniſtros Angliæ hac de re breuiter taxantur.

Inter alia verò hiſtoria quædam recitatur de factionibus hoc modo. Quidam vir nobilis cum ſemper intereſſet Geneuæ concionibus Caluini, & nunquam Vireti, qui eodem tempore magna fama ibi concionabatur, & opponebat ſe factioni Caluini, alius vir nobilis hæreticus qui Vereti partes ſequebatur, eum interrogabat, quare Viretum quoque non audiebat? qui reſpondit, Caluini doctrinam ſibi ſufficere: Cum autem alter perurgeret, vt Viretum quoque audiret, ille ira motus dixit: Si Paulus Apoſtolus eodem tempore concionaretur, quo Caluinus, ſe relicturum Paulum, vt Caluinum audiret.

SEquitur iudicium criminale habitum de quinq; Puritanis Londini in Anglia, die 20. Aprilis huius anni 1593. quorum duo Barrous & Greenuodus, Anteſignani erant, tertius verò Studleius ſenior Eccleſiæ Puritanicæ; alij duo Billettus & Boules diſcipuli. Iudices extraordinarij ex ſpeciali Reginæ mandato deputati, Gubernator ciuitatis Londinenſis cum alijs octo, quorum duo erant à conſilio ſecreto Reginæ.

Conſtituto tribunali & Iudicum conceſſu, vbi maxima multitudo hominum confluxerat. 1. qui iuſſus eſt cauſam dicere fuit Henricus Barrous, cuius proceſſus per Fiſcalem Regium contra ipſum factus, fundatus erat ſuper legem quandam promulgatam anno 23. Regni Elizabethæ, qua pœna mortis ſtatuitur in eos, qui ſcienter, ac malitiosè (vt ipſa lex loquitur) libros ſeditioſos aut famoſos contra Reginam aut Religionẽ in Anglia receptam, aut Reipub. ſtatum præſentem, conceperint, fecerint, ediderint, aut conſilium præbuerint, ex qua lege aduocatus Reginæ Barroum accuſabat, quod ſciens, prudenſque & ex prauo animo, excogitaſſet, ſcripſiſſet, imprimi feciſſet, & edidiſſet librum quendam, cui titulum indiderat. DETECTIO FALSAE ECCLESIAE, in quo acriter inuehitur in ſuam maieſtatem, ac in præſentem rerũ ſtatum tam ſpiritualem quàm laicalem, affirmando tum ipſum, tum totum etiam corpus Reipub. Anglicanæ dum in eo ſtatu permanẽt in quo iam ſunt, nec baptizatos eſſe, nec in numero Chriſtianorum cenſendos niſi Regina ſe

reuocet,& reliqui ſeipſos ſubmittant autoritati veræ Eccleſiæ ipſorum, nec ſuæ Maieſtati ſatis fore, dicere, ſe in illa doctrina puritana minimè inſtructam fuiſſe quamdiu curſum hunc tenet,quem modò currit,& adhuc vult in eodem perſeuerare. Amplius accuſabatur Puritanus hic,tenere,quod nemo,in quo inſit aliqua ſcintilla gratię Dei,aut qui velit conſeruare bonam conſcientiam poſſet in hac Repub. Anglicana viuere,aut quamuis vitæ cõditionem ſequi,propterea quod omnes corrupti ſint, & à ſupremo vſque ad infimum cuinſcunque ſint ſtatus aut conditionis vlceribus ſcateant.

Altera proceſſus pars per fiſcalem propoſiti, in eo poſita erat, quod improbarent, Puritani, omnem Epiſcoporum auctoritatem,dicerentque eorum leges eſſe Antechriſtianas non directas ac regulatas digito Dei,quodque illi qui honorem exhiberent Epiſcopis, honorabant beſtiam de qua ſermo eſt in Apocalipſi. Item quod pernegabant Reginam poteſtatem vllam habere, condendi legem vllam quæ Eccleſiam obligaret, & attingeret: & quod ille qui fert leges,aſſumat & arroget ſibi officium Dei,vt pote cui hoc proprium ſit eſſe legis latorem.Item quod vniuerſi incolæ regni Anglicani,exceptis ijs qui erant ex ipſorum Eccleſia,infideles ſint; infidelem vero eum eſſe dẽniunt qui vel nunquam fuit ex ipſorum eccleſia,vel qui ab eadem poſt ea deſciuit.

Hunc ſequutus in iudicio Greenuodus, qui eo nomine in crimen vocabatur, quod publicaſſet librum quendam, quem Barous & ipſe ſimul compoſuiſſent,cui titulus erat. CONFERENTIA INTER IPSOS ET CERTOS MINISTROS PROTESTANTES, in quo primum omnium reijciunt librum publicarum precum,approbatum Reginæ & Eccleſiæ Anglicanę legibus,quę durauerũt ab anno primo Elizabethę:quodq; dicant ſe probaſſe iam, congregationem ſeu Eccleſiam Anglicanam quæ modo eſt, prophanam eſſe, ac ſimilem Babel: & quod regatur legibus papæ, non legibus Chriſti poteſtate Satanæ,non poteſtate Chriſti,cuius nomen per ſuperſtitionem & idololatriam. Item quod in ea non inquiratur verum aliquod verbi diuini miniſterium ſicut oportet ſed falſum propugnatur. Item quod cætus non regantur,

regantur, gubernentur aut dirigantur per nouum aut vetus testamentum sed per superstitiosos canones pontificum & conciliorum. Item quod ea quæ in Ecclesia Anglicana hodie proponuntur, non sunt eiusmodi, vt politiæ causa tolerentur, vt Regina præcipit, cum nemo filiorum Dei ad hanc eorum Ecclesiam accedere possit, sine euidēti periculo damnationis æternæ. Item quod omnes leges Ecclesiæ Anglicanæ sint falsæ, & Antichristianæ, & quod eius ministri nullam habeant autoritatem docendi, prædicandi, aut ingerendi se in Ecclesiam Dei, quoniam rite & legittimè non sunt vocati. Item quod tum ipse, tum Barrous in cōferentia quadam habita cum quodam Reity affirmauerant Reginam impie egisse in tribuenda autoritate Episcopis, seq; hoc ipsum suo sanguine obsignaturos. Studleius senior quidam Ecclesiæ Puritanæ accusatus & in iudicium vocatus est ob diuulgatum priorem librum. Billettus ob idipsum. Boules vero discipulus ob diuulgatum librum posteriorem.

ACCVSATIO INSTITVTA

per D. Odoënum Aduocatum Regium apud Iudices, contra Barrou Puritanum circa præmissa.

DIxit Aduocatus Reginæ. Lex promulgata anno 23. Reginæ Elizabethæ, de qua in crimen vocatur reus iste, ob libellos prohibitos publicatos, duas continet partes, primam quæ pænam decernit in eos, qui libros tales excogitarunt. Secundam vero in eos qui malitiose eosdem diuulgant: contra vtramque legis partem peccasse Barroum affirmabat: ad probationem prioris partis asserebat Baroum, in eo quod affirmauerat suam Maiestatem non esse baptizatam, condemnatam Ecclesiam vniuersam Anglicanam, Academias, Archiepiscopos, Episcopos, vicarios, Parochos, Ecclesias Cathedrales, & omnes alios suis exceptis. Item ex eo quod affirmauerat, omnes qui Ecclesias Anglicanas adeunt, esse infideles. Item quod Ecclesia, Respub. & tandem omnia sint corrupta, confusa,

legesque publicæ, consuetudines, & cætera omnia inquinata: quodque nullus Princeps posset nouas leges condere: atque ex his inferebat Aduocatus, illos libellos Puritanorum famosos ac seditiosos esse, malitiosè vero publicatos esse demonstrabat, ex eo, quod hæc omnia notoriè essent falsa. Deinde dixit de facto inquirendum esse, quod ad duodecim viros spectat; lex autem à Iudicibus proferenda est quæ pœnam statuit, quod finis & scopus ad quem colliment isti Puritani, sit inducere confusionem miseram in Rempub. licet illud dissimulent, ex eo patet quod Reginæ Regimen, a deo esse fatentur, sed effectum eius auferunt, quod est condere leges, & ex consequenti, ipsummet etiam regimen demoliuntur: hocque fieri ex prauo animo probabat, in quantum asserunt illam omni autoritate carere, ideoque diabolicas ipsorum persuasiones spectare ad manifestam rebellionem velatam nomine religionis, qualis erat seditio illa Ketti, tempore Edouardi sexti, qui nihil aliud se moliri aiebat, quã amouere improbos consiliarios à Rege: similiter rebelles, quĩ arma sumpserunt olim in partibus septentrionalibus Angliæ, idem prætendebant, & id ipsum vult hæc istorum Iuporum, Carnificum, & animicidarum simulata seditio, egregius scilicet cætus hominum, qui sibi assumunt, vt suæ maiestatis consilium constituant, & dirigant, cum in ipsis omnibus, ne vnus vir probus reperiatur. Item affirmabat Puritanos hos, & Papistas cunicularios esse Regis Hispaniæ, qui viam ei faciant, sic vt hi ab vno extremo, alij vero ab alio inchoando, suffodiant paulatim præsentem Reipub. statum, quoad tandem in corde fundamenti sibi inuicem occurrentes, vniuersum Rempub. demoliantur & euertant.

DEFEN-

DEFENSIO BARROI.

BArrous reſponſurus ad obiecta in ijs quæ ad Eccleſiam ſpectant: petebat vt per Eccleſiam iudicaretur. aliqua quidem videbatur fateri, dicens facile eſſe homini aliquando labi in Sermone, alia diſtinguebat, nempe de baptiſmo Reginæ & ſubditorum & vtrum cenſendi eſſent chriſtiani. fatebatur enim baptizatos eſſe eo tempore quo Romana Religio in Anglia vigebat, nondum tamen ſignatos eſſe, donec a ſpiritu vocentur, qui eos poſſidendo Eccleſiæ membra facit. Illud vero liquide aſſerebat, miniſtros & concionatores Eccleſiæ Anglicanæ, nullo modo eſſe ex Eccleſia vera, ex eo quod illis præſcribatur tempus moduſque orandi, locus concionandi, ſcilicet tanquam in dolio quodam mugientes, & ſua eructantes, dum interim verbum Dei conculcatur ſub pedibus brutorum iſtorum, & animalium prædicatorum.

Deinde inferebat Aduocatus aſſerere & ſcribere iſtos, Reginam non habere auctoritatem condendi leges, arguit inquit malitiam, tolle enim inquit auctoritatem condendi leges, & tolle ſceptrum, & ita Iudex Anderſonus aiebat, factum hoc ex propoſito eſſe, & per conſequens ex malo animo. Vltra hæc Batrous aiebat, tantum abeſſe Epiſcopos, cæteroſque iam nominatos Eccleſiæ Anglicanæ miniſtros, ab eo ſtudio, vt mandata Dei obſeruentur, vt etiam ſatagant ea abrogare. Aſſerebat præterea Eccleſiam Dei non poſſe habere duo capita, vt proteſtantes volunt, vnum in cælo, alterum in terris, ita enim fore monſtrum, multo minus poſſe habere pro capitibus Archiepiſcopos, Epiſcopos & eius farinæ ſimiles, qui non Chriſti, ſed diaboli membra ſunt, noluntque agnoſcere aut recipere, inquit, poteſtatem ordinariam, quæ ab Euangelio conceditur, ſed volunt peculiaria ſibi à Principibus concedi pro ſuo libito, ideoque aſſerũt poſſe Principes leges condere quas volunt.

Sub finem tamẽ aliquanto ſe pacatiorem, ac ſedatiorem exhibuit (quanquam hoc hypocriſis ſolum velamen videbatur eſſe) non videbatur quodammodo ſuæ maieſtatis

primatum agnoſcere, affirmans ſe illo libro à ſe ſcripto nihil mali Regniæ intendiſſe, proteſtabatur quoque ſe quærere ſalutem omnium hominum, nec in animo habere commouere vllam ſeditionem, & deteſtari ſe item omnem Hiſpanicam inuaſionem. Quod eſſet probaturus per omnes leges factas ſecundum verbum Dei quod Eccleſia Greenuodi ſit vera Eccleſia. Quod Regina non poteſt, prohibere quenquam ne carnem comedat vllo die, ſicut prohibet diebus Mercurij: quod qui furatur clanculum & ob indigentiam, non ſit morte dignus, ſed qui per vim aufert, aut perrumpit domos, & vt eius verbis vtar, non fur ſed latro tantum ſit ſuſpendendus. Item quod Epiſcopi omnes & miniſtri Anglicani ſuſcipiendo in ſe miniſterium verbi ſine vocatione legittima, fiant Antichriſtiani, & conciliando ſibi ciuilem poteſtatem, euadant beſtia illa de qua ſermo eſt in Apocalipſi. Contra Grenuodū allegabat Aduocatus quod dixerat parochias omnes proteſtantium congregari ſolitas per ſonum campanæ in nomine antichriſti, & addictas eſſe ſeruituti AEgyptiorum, & Babyloniæ ſeruituti, quod Aduocatus affirmabat de ipſa quoque Regina intelligi poſſe. Interrogatus deinde qua auctoritate Stocus quidam ab ipſis excommunicatus fuera; Reſpondit ea authoritate quam Chriſtus dedit ſuæ Eccleſiæ. Interrogatus quodnam officium gereret ipſe Grenuodus in Eccleſia: Reſpondit ſe eſſe doctorem, Ionſonum vero paſtorem, ſtudleium ſeniorem eiuſdem Eccleſiæ, quodque ad hæc officia legittimè electi eſſent, per congregationem. Interrogatus, vbi, reſpondit in loco libero ab omni perturbatione, nempe in medio Syluæ.

His omnibus peractis & accuſationibus defenſionibuſque auditis, duodecim viri iurati pro conſuetudine Regni, inquirentes de facto, reos eſſe declararunt; vnde & iudices quoque ſententiam mortis in omnes pronunciarunt, & paucis interiectis diebus, duo primi ducti fuerunt publicè ad Tyburnum, locum ſupplicij, mille ferè paſſus extra Iondinum, infinita populi multitudine eos concomitante. cumque ad locum veniſſent, rogabant, vt liceret illis ſeorſim à turba orare, quod tandem illis conceſſum fuit,

cum nullo

cum nullo modo orare vellent inter hos, quos quia prophanos & Antechtiſtianos dicebant, nec volebant orationem dominicam recitare, etiam oblata illis ſpe vitæ, ſi id facerent, quia orationem illam deteſtabantur. Tandem vero ſeceſſerunt in partem remotam ſub quibuſdam arboribus, ibique prolixè orabant, cum iam multi inciperent illis fauere, non tantum ibi, ſed etiam in ciuitate Londinenſi, venit mandatum vt reducerentur in ciuitatem, quod & factum eſt, vt populus pacaretur. Deinde vero poſt triduum, cum nihil de ea re ſuſpitionis eſſet, educti manè ad locum ſupplicij, ſuſpendio vitam finierunt, multa & aſperrima contra Reginam & vniuerſam Rempub. vociferantes.

IOANNI PENRY,
FAMOSO PVRITANORVM INTER ANGLOS MINISTRO,

accusato apud Iudices : hæc verba grauissimi criminis loco sunt obiecta : excerpta ex publicis eius scriptis : in quibus cum Anglia sic expostulat.

QVid tandem respondit Anglia diuinæ vocationi? Certè fronte impudenti respondit, non accedam ad sanctum Domini: & quod ad ædificationem domus eius attinet, nec digitum attollam ad opus illud promouendum: quin potius pergam & connitar ad illud dissoluendum. Et si quis vel verbum emiserit pro hac domo, aut deplorat miseriam eius, eum ego iudicabo rebellem, vel hostem status mei. Nam quoad Euangeliũ, & ministros eius, iam dudũ recepi omnia Euangelia, quæ admittere intendo. Recepi Euangelium, recepi ministerium, vtrumque omnino in mera literę scriptæ lectione & cortice positum: Euangeliũ pompaticum vel laruatum: Pompaticum atque laruatum ministerium: Euangelium, & ministerium quod cotroborat manus impiorum in sua iniquitate: Euangeliũ, & ministerium, quod se mihi accommodat, quod ad nutum & voluntatem meam, vel loquax est, vel mutum. Deniq; tale admisi, tum Euangelium, tum ministeriũ, quod conscientiæ meæ nunquam molestiam aliquã afferet peccata mihi ob oculos proponendo, & in hoc vno continentur omnia Euangelia, & omnia ministeria, quæ hic vnquam sum admissura. Quin imo certò præcauebo (quoad in mea fuerit potestate) ne domus Domini ædificetur per alios, quam per eos, qui huiuscemodi ministerium & Euangelium ad me sunt allaturi. Nam si quis ad generalem statum Regni, ministerij, & populi attenderit, nihil ibi videbit aliud nisi multitudinem quandam hominum conspirantium cõtra Deum, contra veritatem, contra ædificationẽ domus eius, contra sanctos eius, & filios: & ex consequenti, contra salutem propriarum animarum, contra publicam pacem, & tranquillita-

tranquillitatē totius Regni. Nam alterum illud ſodalitiū (ſignificabat Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Miniſtros Eccleſiæ) nihil aliud eſt quam grex hominum ſanguinariorū qui occidunt animas miſerorū, & ſacrilegè ſpoliant Eccleſias, qui (inquam) ſeſe ſaginauerunt ſanguine animarum hominū, & exitiabili ruina Eccleſię. Fuitq; iamdiu ordinaria praxis iſtorum Atheorū, ſtatuta facta ad conſeruandam Religionem & pacem publicam, inuertere ad illaqueādum ſubditos quietos & pacatos. Et quia de Concilio Regineo verè dici poteſt, quod illi delectantur his iniurijs & violēta oppreſſione Sanctorum Dei, & Miniſtrorum eius: ideo quandocunq; Dominus venerit ad perſcrutandū in luminibus (vt loquitur Zephaniah) peccata Angliæ: Viſitabit certè Concilium hoc noſtrum graui plaga: quia ſine controuerſia obriguerunt in fæcibus ſuis, & intrinſecus in corde eis perſuaſum eſt Dominum nihil velle in alterutram partem ſe commouere ad defenſionē ſuorum legatorum, & filiorum: & tum ſentient quā graue peccatum eſt non impedire; quantò grauius procurare & efficere oppreſſionem Eccleſiæ Chriſti. Non onerabo conſiliarios, eo quod ſequitur in Ieremia, quod non exequantur iudicia orphanorum: hoc tantum dicā, quod ne poſſible quidem eſt eos iuſte iudicare inter homines litigātes, qui omnes ingenij ſui neruos contendunt ad eripiendum Chriſto Ieſu ius quod habet in gubernanda Eccleſia ſua. Quem impium & ſceleratum morem vti ſemper tenuerūt, & perſecuti ſunt à primo tempore quo Regina ſuum regimen cæpit: ita iam plurimum eorum creuit audacia, magiſque rebelles facti ſunt contra Dominum & cauſam eius, quàm vnquam fuerunt hactenus.

HOC QVOD SEQVITVR, *citabatur contra eundem ex quadam eius epiſtola, vel petitione, quam Reginæ fecerat.*

VLtima tempora regiminis veſtri, verſa ſunt potius contra Chriſtum Ieſum, & Euangelium, quā ad eius defenſionem: & ego permagnam ſane cauſam habeo conquerendi, imo verò Dominus, & eius Eccleſia (Princeps)

iuſtam habet cauſam conquerendi de hoc regimine: non tam propter iniurias mihi aut alijs ſubditis veſtris illatas: quam quod nobis ſub veſtra gubernatione fas non eſt ſeruire Domino Deo iuxta eius verbum: ſed venundati ſumus, & mancipia efficimur, non ſolum noſtris ipſorum affectionibus, vt nobis liceat quicquid libet, modo tamen nos contineamus intra terminos & cancellos legum ciuilium: ſed etiam mancipia facti ſumus homini peccati, eiuſq; conſtitutionibus. Neque verò vis & calamitas, quã timemus ſuperueniet nobis. Poterit enim Dominus per exteros funditus exterminare, & vos propter abnegationem, & nos propter negligentiorem voluntatis eius obſeruationem. Ego quidem ad celſitudinem veſtram cum hac petitione accedo, vt ſi audire volueris, ſubleuẽtur miſeriæ noſtræ: ſin recuſaueris, vt poſteritas cognoſcat hoc à vobis fuiſſe poſtulatum: & vt præſens ætas intelligat parum boni eſſe à vobis expectandum. Et quidem hoc eſt vobis cogitandum, vos eſſe ex numero eorum Principum qui cum fecerint profeſſionem Euangelij, tamen ſiniſtris conſilijs perſuaſi, opponunt ſe Euangelio. Id quod (Princeps) quamdiu non agnoueris, non noſti teipſam: & meri ſunt ſycophantæ, & adulatores, qui vobis aliter inſuſurrant. Hactenus quidem ſtetiſti, & adhuc ſtas per Euangelium: & tamen perexiguum eſt, quòd Euangelium debet tibi, quatenus nos iudicare poſſumus. & praxis quidem gubernationis veſtræ hoc demõſtrat, quod ſi abſq; Euangelio, regia hæc poteſtas potuiſſet vobis obtigiſſe, admodum quidem fuiſſe dubitandum, vtrum vnquam per vos Euangelium in Anglia pedem ſtabilem fixiſſet. Poſtquam enim in Regali ſolio ſecura conſediſti, idque per Euangelium; non paſſa es Euangelium ſeſe extendere vltra limites illos, quos tuum ſceptrũ ei circundedit. Sed vt breuis ſim: fieri quidem poteſt (Princeps) vt videas fundamentum Angliæ penitus & radicitus euerti: cæterum hæc cauſa, quam ego apud te ago, nunquam euertetur, aut ſupprimetur. Cum autem iure poſtulemus opem veſtram, tum vt cum vera Eccleſia nos coniungamus, tum vt reijciamus falſam omneſque conſtitutiones eius, nobis in hoc veſtro regno neutrum permittitur: ſed rebelles & ſeditioſi iudicamur, ſi alterutrum poſtulamus. Ideoque Princeps, non

tam hoſtis

tam hostis es nobis miseris hominibus, quàm Christo Iesu, & incolumitati regni eius. Adeo vt hoc valde quidem probabiliter affirmari poterit: quod si soror vestra Maria, & illius persecutio ad hunc vsque diem perdurasset, Ecclesia Dei in Anglia multo magis floruisset, quàm hodierno die floret. Et iam (Princeps) maiestas vestra consideret, quid tandem boni Ecclesia Dei à vobis consecuta est: in præsens quidem externam quandam pacem, sed cũ absentia, vel exterminatione Christi Iesu in Euangelio suo: sed quoad posteritatẽ, maiores calamitates, & pericula illi imminent, quàm vnquam eam apprehenderunt in diebus sororis vestræ.

Propter hæc dicta & scripta, prædictus minister coram Iudicibus regijs accusatus, & condemnatus est, 25. die mensis Maij iuxta computum Anglorum: eiusdemque mensis die 29. anno 1593. suspensus est in loco obscuro & inusitato ad S. Thomam iuxta Aquas (fortassis vt sectarij Puritani qui eum alio in loco attendebant, & tanquam egregium Euangelij martyrem honorabant, fallerentur) & statim eodem in loco, sub patibulo sepultus.

FINIS.